Epiſtola

Magnifico ⁊ ornatiſſimo viro Marino Georgio Doctori cla-riſſimo Caeſar optatus Neapolitanus. S. P. D.

Quantã fecerint iacturam: publica litterarũ Gymnaſia olim in Italia celebratiſſima.
Tẽporibus hijs belli cum barbaris turbulentiſſimis: noſti Marine vir Magni-
fice ⁊ ſapiẽtiſſime: qui pro pacanda Italia apud diuerſos principes venetorum ora-
tor ⁊ publicam perſonam Gerens varios non ſolum labores ſed calamitates mul-
tas pertuliſti. Quo factum eſt vt patauinum hoc veſtrum in venetia Gymnaſiũ celebratiſſimũ:
⁊ piſanũ illud in hetruria veſtre laudis emula penitus deleta fuerint. Et viri multi exercitatiſ-
ſimi qui varias publice profitebantur facultates partim morte preuenti: partim exules facti:
partim alijs deditj curis: que continua exercitatione ⁊ induſtria didicerant obliuioni manda-
runt. Pauci admodũ ſuperſunt qui re compoſita ⁊ pacata ſciant ⁊ poſſint bonas artes repa-
rare: quibus tu vnus preſidio imprimis ⁊ ornamento eſſe potes. Que omnia cum ego a bel-
li principio preuidiſſem ⁊ quodã modo vaticinatus eſſem: venetias tanq̃ in portũ tutiſſimum
me contuli: vt quantum a publica exercitatione vacans amiſerim: (Nã piſis publice medici-
nã profitebar) Tãtũdem priuatis ſtudijs nõ modo compenſarem: Sed ſcribendo cumularẽ.
Noſti enim quantum vtilitatis afferat exercitationis hoc ſcribendi genus. Nam que difficilia
ſunt melius reſoluuntur: ⁊ facilius memorie mandantur. Quantum itaq̃ temporis a meden-
di hac induſtria dabatur: id omne comentando conſumpſimus: Et iam fere totam rem medi-
cam complexi ſumus. hoc tamen propoſito vt mihi ⁊ poſteris prodeſſem. Sed an effecerim
quod ſtatueram te arbitrum elegi. Tuoq̃ nomini opuſculum hoc de hectica febre qualecũq̃
ſit ex noſtris comentarijs excerptum: eo tibi libentius dedicaui quo te humanitate: ſapientia:
⁊ iudicio preſtare cognoui. Eſt enim materia de hectica difficilis valde: ⁊ in qua grauiter pec-
catur. Et licet eam non pauci attigerint: nemo tamen ꝙ hactenus viderim opus perfecit vt le-
gẽtis deſideriũ implerit: quod nos pro virili nitimur. Laboraui equidem vehemẽter non ſo-
lum quia ab alijs parum adiumenti cepi. Sed quia ⁊ medicas ⁊ phiſicas queſtiones diſcute-
re opus fuit vt videbis. Locutionis genus hoc noſtrum proprijs rerum vocabulis explica-
tum eſt: ⁊ pro qualitate materie ſermo eſt purus: qualis medicum deceat. Mirum nãq̃ eſt q̃
male affectato illo dicendi genere (quo hodie plurimi gaudent) res perceptu difficiles expri-
mantur: perdunt gratiam qui rem cognitu difficilem verbis ornare conantur: Iuſta poeticum
illud ornari res ipſa negat cõtenta doceri. Hec ſi tibi placere cognouero: viti litigatores nõ ex-
timeſcã: ⁊ alia multa edere properabo. Vale. Venetijs die. 20. Martij. 1517.

Generated on 2019-06-20 14:02 GMT / http://hdl.handle.net/2027/ucm.5324321570
Public Domain, Google-digitized / http://www.hathitrust.org/access_use#pd-google
Digitized by Google
Original from
UNIVERSIDAD COMPLUTENSE DE MADRID